

Lambertus Ludolfus Pitbopæus
Henrico Stephano S. D.

431.

Quam dedi tibi nuper & Melisso,
Posthincq; tuo meoq; uilem
Cœnulam, Hippolyto & meo Dobino,
Madero, Stenio, atq; Scipioni,
Viris, candidiora qualia unquam
Tellus pectora non tulit, feretue,
Quis me iunctior haud sit alter, opto,
Non magno lepore, at lepore multo
Conditam, & Scyphulis siticulosis
Villi Neccarei, haud meri Falerni,
Adhuc Grammaticis Pœticisq;
Quæstionibus, & iocis canoris,
Mercator locuples, ferusq; miles
Quæ non unius æstimarit assis,
Ausus es, Stephane, haud uocare tantum
Cœnam, uerumetiam uocare cœnam
Audes regificam, nimisq; lautam;
Nec uerò satis hoc tibi, sed audes
Cœnulam tenuem, metris disertis
Cœnam scribere & expolire magnam.
Parum, iudice me, sapiis palato,

C. Paro,

C Pare, Errice, tua hoc mihi fateri, et
Fas sit dicere liberè palàmq;
Sed multùm sapis & satis superq;
Doctrina, eloquio, sagace mente,
Iocosq; Thalia et erudita,
Qui tam chiragrici & mali Poëta,
Quem torquet malè carnifex podagra,
Tam uulgaria, tamq; pauca fercla,
Tam docta redimas & elegante,
Tam culta, lepida, & Camœna acuta,
Cœnam modicam, parumq; lautam,
Audens regificam uocare cœnam,
Sicq; Χαλκικα Χρυσέοις repondas.
Ast ne tam lepidis bonisq; dictis
Impune in Dominam meam Podagram
Illusisse te, Errice, glorieris;
En legem, mea quam tibi Podagra
Fert, ioco ingenue iocum refutans;
Cœnam, Errice, tuo & meo Melisso,
Posthioq; tuo, mihiq; lautam
Et grandem, Hippolyto & meo Dobino,
Madero, Stenio, atq; Scipioni,
Quanto uis, potis esq; sumtu & arte,
Quo tu tempore uis locosq; adorna;
Tamen, cum omnia feceris, uicissim,
Cœnam regificam tuam, uocabo

Cœnulam tenuem, parùmque lautam,
 Sicque χρύσεια χαλκείois rependam.
 I nunc, chiragricium, malum Poëtam,
 Quem torquet nimium Podagra sepe,
 Doctis pergito prouocare dictis,
 Cœnulamque, uocare, Erice, uilem,
 Cœnam regificam, nimisque lautam.
 Tam malis rudibusque faxo metris,
 Tam bonum, lepidum, & Poëtam acutum,
 Mactatum bene, cœnulamque uilem,
 Tuam regificam atque delicatam,
 Par pari referens, uocabo cœnam.

Heideberga, 25. Junij, 1588.

Pithopoens.